

fem rerum maximè communium & pedestrium rediguntur.

Nec obiter tantùm vel ambigè narratè sunt in Evangelio Energumenorum historia, non tanquam commune aliquid nullius momenti; ita enim de illis tractatur, quasi de apertissimis missionis & divinitatis Jesu Christi argumentis. Documentum illud exhibet Jesus, quo homines persuadeantur, non alium expectandum ab illis prædictum ab Oraculis Liberatorem (f); spem facit Apostolis futurum, ut pellendorum Dæmonum ad invocationem nominis sui virtute donentur (g). Septuaginta illi Discipuli sancti missionis suæ munere, læti inter se narrabant malos Spiritus imperio suo habuisse morigeros (h). Utique profecto Religionis commodis servitur, si facta hæc omnia summoveantur, & Energumeni sive phantasia seu corporis morbo aliquo affecti demonstrantur.

At enim plus nimio Dæmonis potentia augetur, nec ipsa patratorum miraculorum destitueretur virtute; non enim nisi miraculo & quidem insigni deputari potest, si Dæmon hominem castissimis sæpè moribus, & sigillo Jesu Christi obsegnatum, ita in suam redigat potestatem, ut male illum excipiat, ad blasphemias cogat quandoque, desperationem ingerat, impotentiam in homines, agendi & ratiocinandi priver facultate. His enim semel Dæmoni concessis, nonne in eam suspicionem imbecilliores quædam mentes venire possent, Dæmonem scilicet secundum esse à Deo rerum omnium principium, & parem ferè cum illo obtinere in res creatas potestatem? Si quis etiam admittat, magicas illas operationes, excantationes, adjurationes in nomine Beelzebub, vel Salomonis in Dæmones valere plurimum, & id præstare, quod interdum frustra adjurationibus Ecclesiæ tentatum est; quod, rogo, Fidelibus offendiculum? Nonne magis magisque absurda illa opinio firmabitur, Dæmonem virtute pollere plurimum, & ultionem exigere posse de hominibus terribilem, tormentis illos crudelissimis submittentem?

Reponi hæc omnibus potest. 1. Citra miraculum possideri homines à Dæmone, supra demonstratum est. Potest Deus Dæmoni permittere, ut hominem obsideat; parere cogitur Dæmon, salvis naturæ legibus. 2. Augeratur licet in majus Dæmonis in Energumenos potestas, immenso tamen semper à Deo distabit intervallo; Deo enim assensum negante, adversarius ille nihil poterit; concedet etiam plurimum Jesu Christo, qui Dæmones imperio suo habet morigeros, loco abire, ne resistere quidem audentes, jubet; minus valebit quàm Apostoli & viri quique Sancti, quorum iussa revereri cogitur; minus tandem quàm Ecclesia, adjurationibus suis, precibus, ac cæremoniis in fugam illum agens, & igne gravioribus subjiciens poenis.

Nec est quod magis miremur, si adjurationibus interdum resistant, quàm quod Apostolorum virtuti resistit Diabolus in

Dæmoniaco epileptico & muto; resistit autem, quod, juxta traditam à Jesu Christo doctrinam, genus illud non nisi oratione & jejuniis pelleretur (i). Plura verò succurrunt, cur adjurationibus contumax fiat Diabolus. Desideratur interdum sive in Ministro, sive in Energumeno fides; criminibus tandem Energumeni invalescit Diabolus, ut alias ejus rei causas, in secreta Dei consilia referendas, omittam. Nonne Religionis efficacissima remedia, Sacramenta videlicet, vacua efficiunt interdum prava recipientium habitudo? Si adjurationibus hæc nulla unquam esset ad eventum fides, merito reclamaret adversarius; cum tamen sæpè non recidunt in casum, quod illas urgeant nihil est. Si enim nulli essent Energumeni, frustra semper essent adjurationes; non enim valent quidquam naturalibus corporis vitiis depellendis, quorum in censu Energumenorum incommoda habent adversarii.

Ut autem Dæmonum infestationes istæ validius oppugnentur, in tres illas classes distributas advertimus. Primam tenent pernicii, & Medicis occulto morbo laborantes. Secundam, quibus vitiosa phantasia error fucum facit. Tertiam, qui liberioris vitæ licentiæ persuasi, tradi se in manus Dæmonum, quibus rapiantur sive detineantur in vitiis, firmissimè credunt. Tria hæc Energumenorum genera statuuntur, ad quorum faciliè censum referri posse credunt, quæcumque de Energumenis ad sanitatem restituti feruntur, omni abstracto Dæmonum commento, sed non omni amoto prodigio; cum maximè agitur de corporis seu phantasia valetudine ad nutum & incunctanter restituendâ, quemadmodum à Jesu Christo factum novimus; qui pariter non sine prodigio crimina remittebat, malas habitudines corrigebat, obducebat animæ vulnera supernaturali virtutis suæ pharmaco. Uno verbo, tota objectionis hujus vis in eo versatur, ut, si fieri possit, quod Scripturæ verba à prodigio detorqueantur, hæc utique ratio interpretandi præferenda sit. Damus & nos ultro, hanc esse expositionem Scripturæ præferendam, si quidem omni amoto prodigio, & Dæmonum infestatione, maximè naturalis & pronus verborum sensus eliciatur; defendimus autem vicissim, nunquam satis prono sensu exponi Evangelii verba cum omnibus adjectis circumstantiis, quin interpretatio illa rejiciatur. Ne unus quidem Textus non aperit exprimit, Dæmonem in homine quodam infidentem, miserum torquere; ubique Jesus malis hæc Spiritibus imperat, parent illi, & salva sunt omnia. Si ad tantam verborum lucem integrum est quicumque suspicari, nihil hic sive de malo Spiritu, sive de Energumenis agi, sed rem esse tantum de morbo & terro melancholiæ humore; liceret pariter assertissima etiam prodigialitudo in rerum naturalium censum redigere, ut transfretationem Maris Idumæi, Solis stationem ad nutum Josue, Lazari resurrectionem. Illud enim tunc reputandum esset, Scripturam scilicet aliter red-

i Marc. 9. 28.

dendam, quàm litera præferat, ut pro eo quod transfretasse Hebræi credantur, alveum tantum illius in æstu maris arentem subisse intelligendi sint; reputandum esset pariter non stetit quidem reipsa Solum, sed id præstitisse Deum; ut Josue maturius rem totam abolveret; antequam noctis tenebræ supervenirent; Lazarum non quatuor ab inde diebus interiisse, sed credulis spectatoribus imposuisse symptoma quoddam apoplexiæ, subito incidens languenti.

Reponit fortè, Textus illos Scripturæ & rei circumstantias omnes eas interpretationes respicere. Dicitur tenemus; sed & infestationes illæ Dæmonum, de quibus in Scriptura, veras se omnibus positis circumstantiis satis demonstrant; frustra ergo interpretationes aliæ excogitentur. Nullum suadet argumentum, ut valetudo Energumeno collata ab expulsiōe Dæmonum distinguatur. Duo sunt hæc simul juncta, quibus unum efficitur prodigium; Diabolo enim expulso, sanitas actutum restituitur.

Damus ultro, plures esse Dæmonum infestationes vel ambiguas vel falsas, quarum tota causa ex intimo quodam morbo repetitur. Verum si auctæ in immensum infestationes illæ abusione quodam nocent, nimis quàm par est eorum numerum extenuare tutum non esse arbitror. Non inverosimiliter creditur, in Saulis morbo majores esse melancholiæ quàm Diabolo partes tribuendas. Judæi, de natura morborum parùm instructi, plura interdum Dæmoni vindicabant, è causis naturalibus repetenda; ita epilepticos, lunaticos, hypochondriacos perinde habebant ac Energumenos. Quid autem hæc persuasio Judæorum ad Energumenos Evangelii? Admittimus Jesum Christum vulgares phrasas usurpasse interdum, neque enim fermonis sed cordis vitiis corrigendis venerat; nihil illi de falsis Judæorum persuasionibus quoad res in medio positas. Hæc pariter valent de Apostolis, & Evangelistis. Quid verò suadeat in hoc rerum, de quo tractamus, genere omnes sive ad decipiendos homines conspirasse, sive id cavisse, ne errorem nostrum tollerent, ut veritas in occulto posita tandem detegeretur? Nunquam eò confugiendum est, nisi summa necessitas angustiis ad extremum hoc redigamur.

Dissimulantibus licet ingentis hæc vulgari superioribus, intelligimus tamen, quid illis facessant negotii adjurationes Ecclesiæ, in quibus aperta ejus rei persuasio demonstratur. Neque recens ea sedet Ecclesiæ cuidam singulari sententia: una est populi Fidelis opinio, à primis accepta Ecclesiæ sæculis. Provocant Ecclesiæ Patres adversarios, ut Dæmoniacos coram Fidelibus constituant; non enim sustinent Exorcistarum præsentiam Dæmones, ipsis fatentibus Christianorum obtrectatoribus. Tam altè mentibus omnium ea federat persuasio, ut vel Judæorum Exorcistæ nomen Jesu Christi pellendis Dæmonibus usurparent (k). Si quis dicat, persuadeat

k Marc. 9. 36.

Act. 19. 14.

Dissert. Calmet Tom. 11.

utique posse Ecclesiam dari Energumenos, quàm reipsa non dentur, vel suam hanc sententiam nunquam filii suis tenendam proponere, illè certè alieno ductur quàm Fideles quicumque spiritu; morigeri enim Ecclesiæ filii hanc sibi proponi autamant necessitatem credendi, quod matrem Ecclesiam tenere noverunt.

Sunt fatemur & nos, adjurationes in Ritualibus Fidelium Libris, sunt, inquam, phrasibus N. T. affines, ex quo magis magisque sententiæ nostræ veritas confirmatur. Si commenta hæc omnia reputaret Ecclesia, alias agendi & loquendi rationes usurparet: falli autem illam in opinionibus suis & ritibus quis dicat? Cum verò insidentem manentemque in Ecclesia virtutem patratorum in obsessis miraculorum admittente nobis vitio datur, res maximè dubia tanquam certa constituitur, Dæmones nempe non sine prodigio expelli. Ita profectò agit in præfenti, quemadmodum in aliis Ecclesiæ precibus, quas vacuas interdum, efficaces non raro experimur; vacuas, inquam, ex prava orantium habitudine, vel latentibus aliis & Deo tantum cognitis causis. Potestatem Dæmones expellendi Jesus Christus concessit Ecclesiæ, sed non usque adeo assertam, ut effectu suo interdum non frustraretur.

At enim nihil erat discriminis inter Energumenos, quibus saluti erant adjurationes vel Salomonis nomine conceptæ, vel excantationibus quibusdam valentes, & eos quos Jesus Christus & Apostoli valetudini restituerunt; ex quo sanè colligunt nostræ sententiæ oppugnatores, quæcumque de Energumenis feruntur; si quid enim subesset idæ hæc veri, nihil utique valuissent excantationes, cum obsessiones istæ Dæmonum, à Dei voluntate unice pendentes, non nisi ab ejus ipsius voluntate tollerentur; ageret autem adversus consilium suum Deus, si magis obediret, atque veneficis seu potius Dæmoni permitteret ea destruere, quæ ipse præceperat. Sed evanescent hæc omnia, si duo infestationum Diabolicarum genera, verà nempe & in speciem tantum, distinguantur.

Magi illi & Exorcistæ, de quibus in præfenti, valuissent utique naturalibus quibusdam pharmacis adhibitis, quibus accederent superstitiosi quidam ritus, creduli vulgi persuasionem in Dæmones efficaces; valuissent, inquam, ad sanitatem revocare credulos illo Dæmoniacos, quibus fucum faciebat sive corporis sive spiritus sive tandem phantasia morbus. Validâ hæc adjurationum impressione revocari poterat ad sanitatem agrotus, alio errore pristinum illum errorem de versante intus in se Dæmone depellens. Cum verò res erat non cum spectro quodam, sed cum Dæmone, frustra se Exorcistæ illi tunc moliri intelligebant, & frigidis quibusdam causationibus removere à se moliebantur infeliciter tentatè rei invidiam. Succedebat interdum, ut audaciæ suæ poenas dare cogerentur, quemadmodum de filiis Scævæ sacerdotis Judæi legitur Act. 19. 14. Dæmonem

K k 2

nem etenim illi loco pellere, invocato Jesu, quem Paulus predicabat, nomine, fat-agentes, actutum à Dæmoniaco abrepti, parùm absuit quin suffocarentur. Suppositivos etiam Dæmoniacos suos præsto habuisse Circulatores illos credimus, cum maximè artis suæ experimentum tradere vellent, ac credulis populis persuadere, esse utique in sua potestate, ut à Dæmone inductos morbos depellerent.

Ægrè admittunt adversarii, Dæmonem acceptà à Deo facultate agere in spiritum, & voluntatem hominis; verùm si hæc omnia ad nutum Dei agantur, prona sunt omnia. Profecò malè affectæ valetudines, humorum œconomia turbata, ebrietas, phantasia error, & alia sexcenta manus utique immittunt in omnes animæ nostræ facultates, prohibent, suspendunt: cur ergo tantumdem & Dæmones, id permitte Deo, non valeant? Quod passionum sæpè violentiâ quotidie fieri intelligimus, ut agitent, angant, torqueant, (quanta est enim amoris, odii, & ambitionis impotentia!) id pariter & à Dæmone jure timeretur.

Postremum omnium & validius fortè adversus Energumenum veritatem argumentum inde repetitur, quòd indicia ambigua sunt maximè, tum Energumenis ipsi, cum illis, qui de Energumenis judicant, spectatis. Indicia sunt, inquam, maximè ambigua; nullo enim argumento satis certo vera à falsis in hac re distinguuntur. Externa omnia signa, convulsiones, agitationes, clamores & symptomata quæcumque, à Dæmone æquè ac à morbo aliquo inducerentur. Occurrerunt etiam interdum ægroti, qui auditi olim sermonis certa vocabula efferunt, qui futurorum oracula casu quodam pronunciant. Nihil ergo ex his satis certi ad Energumenos distinguendos.

Reponimus, plures utique Energumenum characteres magis à perspicuitate absesse, quàm pro communi persuasionem; nec nos veritatem alterius cuiuscumque de Energumenis historię defendendam assumimus, quàm earum, de quibus in Sacra Scriptura, & in assertis aliis Historiis, quæ sinceritatis suæ ea præferunt argumenta, quæ ne suspicandi quidem de morbo, de phantasia errore aliquo, de fraude & dolo ansam recta judicantibus præbeant. Nihil ad nos de receptis vulgò persuasionibus, de immodicâ Dæmonis potestate, de confictis ad libitum prodigiis, cæterisque creduli vulgi opinionibus. Veritatem tantùm defendimus Sacrorum Textuum, non obscure præferentium, Jesum Christum, & Apostolos Energumenos curasse, Asserimus enim non in speciem tantùm illos à Dæmone infestatos, eo innixi principio, hæc incommodorum genera nihil habere repugnans Divinæ potentiæ, præscriptis naturæ legibus, Dæmonum potestati; nec sine religionis, & obsequii in sacrum Textum discrimine fidem veritati illi denegari.

Si quis à nobis apertos quærat infestationis Dæmoniacæ non fucatæ characteres,

reponimus plures dari probabiles tantùm, certos etiam plures. Cum uno veluti impetu sine præcedenti aliqua dispositione homo è statu suo dimovetur, ut in alium transeat longè diversum, cum alio veluti spiritu animatur, angitur, discruciat in vitus; cum plura admittit ab insiti sibi indole longè aliena, sed ita admittit, ut singularia omnia videantur, & violenta, quæ nunquam ab homine præstari posse viderentur, uti cum in aera repente sustollitur, cum res sibi occultas referat; cum, inquam, hæc simul omnia in uno eodemque homine conveniant, ut virorum, quorum sunt mentes à prejudiciis vacuæ, sententiâ aliena esse hæc omnia censeantur à naturali corporis & animæ hominis illius dispositione, tunc sincera omnia reputanda sunt.

At enim hos simul omnes characteres frustra in Energumenis Evangelii quæras. Utique: sed duo regerimus. 1. Non omnia Dæmoniacorum ejusmodi incommoda narranda suscepisse Sacros Historicos; nec rarò observamus ab altero suppleri circumstantias ab alio prætermittas. 2. Omnia simul hæc deceptionis pericula subverti à Scriptura, veritatem ejus infestationis asserente. Eo testimonio satis abundè suppletur quiddid alioqui ad veritatem demonstrandam desideratum esset.

Prophanorum Scriptorum, & Hebræorum phrasés, certa quadam morborum genera certis quibusdam Spiritibus asserentes, satis probant communem gentium omnium persuasionem, Deum scilicet uti quandoque Diaboli ministerio, malis illis inducendis, quibus interdum affligi mundum animadvertimus. Observat Jamblicus (l), nunquam Dæmones spectandos se, vel experimentum sui hominibus præbere, nisi ad prostranda corpora, infligendos morbos, & pondere quodam animas ad terrena inclinandas. Defendit Porphyrius (m), malis hæc Spiritibus accepto referenda esse omnia illa, quæ affligendis hominibus immittuntur, pestem, sterilitatem, terræ succussiones, siccitates &c. Minutius Felix in Octavio: Impuri Spiritus vitam turbant, somnos inquietant, irrepunt etiam corporibus occultè, ut Spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, & ad cultum sui cogunt. Meminit Plutarchus (n) scemina cujusdam, quæ Apollinis sacris præerat à Dæmone, peremptæ.

Quare etsi verum utique reputari possit, interdum humani generis adversarium, captatâ morborum & pravaram corporis atque humorum habitudinum opportunitate, in homines insillire, ac dirè torquere, nunquam tamen talia audere renuente Deo censendus; nec rarò ipsi pariter Authori tribuendi sunt morbi; ipse corpora & humores, pravis in corpore causis præsentia suâ impressionibus, ad morbos excitat, & determinat. Solerter tamen duo ista mala, Dæmonis nempe infestatio, & morbus, quanquam ab unâ & eadem causâ repetita, distinguenda sunt. Quæ autem sedet multis sententiâ, obfessionem nempe Dæmonis aliud non esse, quàm

l De Myster. sect. 2. c. 6.

m De abstin. pag. 198.

n De defectu oraculor.

quàm morbum, seu morbi appendicem, errantis phantasia ludibrium, emota mentis & melancholiâ turbata phantasma; commentum est apertissimum, duo simul confundens, quorum alterum cum altero nul-

lam habet necessariam affinitatem. Agi à Dæmone possunt homines integrâ etiam sanitate, & mentis maximè compotes, cum Deus ad justitiæ & potentiæ suæ gloriam conferre id arbitratur.

DISSERTATIO DE SIMONE MAGO.

M Irari utique subit, cur tanti nominis vir, Simon Magus, sæcæ numero hominum florentissimæ author, hominibus ad cultum usque venerabilis, quem statua honore & divinitate Imperator ipse ac Senatus in tanta sæculo luce dignum habuerant; virum, inquam, tantum, qui inter plurimas gentes gestorum suorum gloriâ claruerat, variis Scriptis Operibus illustrem, qui se veluti Numen universum ipsum moderantem obtulerat, virum, ut iterum dicam, talem tantumque Paganos Scriptores, quorum scripta supersunt, vel latuisse, vel si non latuit, contemptum habitum fuisse, ut ne mentionis quidem dignus in eorum Operibus duceretur (a).

a Disentimus infra quæ habet Dio, & Suetonius, de viro, qui volatum coram Nerone tentavit; quod vulgò de Simone dictum creditur.

b Act. 8. 1. 5. &c.

c Act. 8. 13. Tunc Simon & ipse credit.

d Constit. Apost. 1. 6. c. 7. Recognit. 1. 1. c. 12. Justin. M. Epiphani. alii.

e Ita Aulobes supra cit. Abbas in Petro, alii. f Basnag. Ex. p. 104. 105. D. Le Moine.

fillam meditantem, Simonem quendam Cyprium magiam profitentem ad foeminam misisse, ut deserere virum suum Azizum suaderet (g). Porro viri isti Eruditi pro Cirithâ legendum censent Gitticam, nempe Cirithâ Urbe Cypri oriundus. Desunt huic conjecturæ argumenta; nec Josephus Simonem hunc Cirithâ oriundum unquam prodit. Patrem nostri hujus Simonis quidam appellant Antonium, matrem Rachellem. Jactitabat autem insignis ille seductor æternum esse se, transmeasse verò per canalem Rachelis, ut ad homines veniret.

Cum ergo Philippus & institutione. & Baptismate Christianis sacris imbuisset Samaritanos, qui victas manus dederant ad fidem (h), munere suo functus, quòd Spiritum Sanctum initiatis conferre nequam valeret, ad Apostolos Jerosolymæ versantes selectos homines misit, invitaturus, ut ad consummandum opus venirent. Contulerunt se illic in Samariam Petrus, & Joannes; oblatisque pro Neophitis precibus, impetrarunt illis Spiritum Sanctum; cujus præsentia argumentum luculentissimum exhibebat collatum illis linguarum, & charismatum privilegium.

Tunc Simon, qui in speciem tantum, iuxta Patrum opinionem (i), nomen suum dederat inter Fideles, quique prodigia à S. Philippo patrata Magiæ, non Deo tribuebat; Diacono tandem sanctissimo totum se dedit in clientelam (k); nihil omittens siue de piorum operum exercitio, siue de jejuniis & oratione (l); corde tamen semper ad priora studia & magiam converso, id unice intendebat, ut magis magisque nominis sui gloriam augetet (m). Sperabat vir ille impius affecturum se tandem à Philippo insignium illorum miraculorum patratorum artem; sed visis Spiritus Sancti donis, quæ manuum Apostolicarum impositione conferebantur, ille pecuniâ tentare viros aggressus est, in aures submurmurans (n): Date mihi hæc potestatem, ut cuiuscumque imposero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Non est tibi pars, neque sortis in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. Penitentiam itaque age ab hac nequitia tua; & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Respondens Simon dixit: Recemini

g Antiquit. l. 20. c. 5. pag. 693.

h Vide Abdiam in Petro Recognit. Clem. 1. 2.

i Irenæ. l. 2. c. 20. August. Hom. 6. in Joan. Epiphani. hæres. Simon. k Act. 8. 13. Cum baptizatus esset, adhe-rabat Philippo.

l Constit. Apost. 1. 6. c. 7. m Chryso. in Act. hom. 18. Aug. in Joan. hom. 6. n Act. 18. 3. 19.